

sunt, tam in mensuris regionum, quam figuris, tanquam haud quaquam ab historia recte deducti, quemadmodum ij, qui maximam tabulae partem Europae attribuerunt, tam secundum longitudinem quam latitudinem, propter frequentiam & uarietatem locorum impo-
nendorum. Atque autem secundum longitudinem nimium reliquerunt spacium. Libye uero secundum latitudinem propter contrarium, etenim ob causam hanc, Indicum pelagus, post Taprobanem ad septentriones conuerterunt, cum ipsis tabula obstaret, quo minus ad solis ortum progredi possent, nihilque tale haberent, quod ex contrario super Scythia, Boreae subiecta describere possent, rursusque occidentalem oceanum ad ortum uertunt, obstante eis tabula, ad distantiam meridianam, quum nihil ibi interioris Libyae aut Indiae, uastitas contineret, quod occidentali littori propter locorum frequentiam opponi posset.

Quapropter tales, cum terram uniuersam oceano cingerent, a describendis erroribus incipere uisi sunt, historiaeque ad impossibilia detorserunt. Nos uero in diuisione tabulae praefati errorē euitare poterimus, si diuisiones ita fecerimus, ut regiones frequentiores, aut sole sint, aut cum paucis tabulam sortiantur, secundum maiores circulorum distantias, in frequentiores uero, & quae non adeo multa intercipiunt totae, cum pluribus similibus, sub una comprehendantur tabula, in minoribus circulorum distantibus. Haud enim necesse est, ut omnes tabulae inuicem sint commensuratae, sed solum ut in singulis inuicem conseruetur ratio, quemadmodum cum caput solum depingimus, solumque capitis sunt, aut quum manum solum, quae manus sunt solum. Non enim quae capitis sunt cum manu iungimus, nisi cum sub una figura totum facimus hominem. Quemadmodum enim nil impedit totum nonnunquam augere, nonnunquam uero minuire, ita nil impedimento erit, ex partibus, cum per se constant, quaedam ob capacitate supponendarum tabularum au-

gere quaedam uero minuire. Nec multum a ueritate aberit, quemadmodum in principio compositionis praefati sumus, si lineas rectas, pro circulis incidentibus per partes tabularum inscribamus, lineas etiam meridianas haud quaquam inclinatas, sed & illas inuicem equedistantes, quamuis enim uniuersi habitabilis, tam latitudinis, quam longitudinis termini, secundum magnas sumpti distantias praecipuas in extremis circulis faciant mutationes, non tamen ita in singulis accidit tabulis, ac ideo secundum rationem paralleli, qui bifariam incidit tabulam, ad circulum maximum, necessarium dicimus, ut quae plurimas faciamus parabolas, ne per totam distantiam tabulae, id quod indagamus, querere cogamur, sed solum illud, quod ex ea a medio est ad alterum extremorum.

QVAENAM PER SINGULAS tabulas ascribere congruat.



Aliigitur praesuppositioni innitentes, Europae diuisiones, decem comprehendemus tabulis. Libyae uero quatuor. Asiae autem duodecim, in singulisque superscriptiones ponemus, praetermittentes, cuiusnam continentis tabula quaeque existat, & quae magna, quasque contineat regiones, & quam rationem habeat parallelus, qui per medium illarum transit, quae exactissime ad meridianum & quenam circumscriptione totius fiat tabulae, subordinantes per singulas regiones, ciuitatum insignium elevationes, assumptas ad magnitudinem dierum in ipsis. Situs uero secundum longitudinem ab distantibus meridiani, qui est per Alexandriae, siue ad ortum, siue ad occasum magnitudinis fere horarum aequinoctialium. Et nunc istis qui Zodiaco sunt subiecti, sol semel uel bis super uerticem fiat, ac quemadmodum dispositus sit ad conuersiones. Quin & quamnam stellam fixam singula loca in uertice habeant addidissimus, si in obseruando apparent latitudines, ad aequinoctiale, hoc est,